Garcia, *dict. cap.9. num.12.* Rota *decis.112. num.3. part.3. in recent.* Unde & jus patronatus separatim venditur, quod jure licet. Quo argumento utitur Vivian. *lib. 4. capit. 1. num. 9.*

111 Cui pro communi sententia poterit responderi, hæreditatem dupliciter adhuc post aditam hæreditatem considerari, vel confusam cum bonis hæredis, vel ab eis separatam, quatenus est universum jus, quod defectus reliquit tempore mortis, in quod hæredes successit, sub hac ratione est quid universale; non sic sub illa: cum autem distrahitur, non consideratur ut pars patrimonij successoris, sed ut defuncti substantia, ideóque *hæreditas* nuncupatur, quæ viventis nulla est; *l.1. ff. de hæredit. vel action. vendit.* Hinc est, ut singulæ res hæreditariæ non censeantur venditæ, sed universitas in qua continentur; Ant. Gom. *variar. lib.2. c.2. n.44.* Hermosill. *in l. 34. glos.1. num.1. tit.5. p.5.* Quod apertè constat ex *l.2 ff. eod.* juncta Glos. *ibi, verb. De evictione,* qua probatur venditorem hæreditatis non teneri de evictione pro rebus singularibus hæreditariis, quæ evincuntur, Olea *de cession. jur. tit.7. q.5. n.14.* Cyriac. *tom.1. controv.17. n.26.* de quo fusè Hermosill. *ubi proximè*, quia singulæ res seorsim non venduntur. Sic & jus patronatus transferri in emptorem hæreditatis, nihil impedit.

Ibi: *Imò si pars hæreditatis vendita fuerit.*

112 Si hæreditatis pars distrahatur, cùm in ea jus patronatus Ecclesiasticum fuerit, emptor pro ea parte efficitur patronus, Hermosill. *in l.15. glos.4. n.5. tit.5. p.5.* Salced. *in addit ad Bernard. Diaz. reg.401. ampliat.1.* Sanch. *d. dub.80. n.3.* & dixi *sup. lib.1. c.13. n.12.*

113 Sed superior assertio de translatione juris patronatus in emptorem hæreditatis minimè procederet, si in ea nihil aliud sit, vel aliquid ita exiguum, ut pretium pro ipso jure patronatus constitutum agnoscatur, Lambertin. *dict. q.5 art.15. num.12.* Sanch. *num.10.*

Ad Numerum. 9.

114 Adde Sanch. *d.c.3. dub.93. num.8. qui num.5.* docet, melioratum in Tertio, & Quinto, non succedere parenti in jure patronatus, Spin. *d. glos.4. n.54.* Multò magis excluditur exhæredatus, Sanch. *n.4.* Lambertin. *d. quæst.5. artic.21.* Vivian. *lib.4. cap.2. n.55.* etiamsi non mala mente exhæredetur; nam etsi filiis ea exhæredatio non noceat quoad successionem in jus patronatus libertorum, *l. si patronatus 12. §. Si quis non mala, ff. de bon. libertor.* aliud in jure patronatus hæreditario Ecclesiæ dicendum est ex manifesta differentiæ ratione; ad illud etenim consequendum sufficit, filium non esse exheredatum, licèt hæres non existat parenti, *d. l. si patronus, §. fin.* ad istud verò, nisi hæreditatem adeat descendens, non admittitur, ut dictum est *sup. nu.102.* filium quidem bona mente exhæredatus, & non notæ causa, pro exhæredato non habetur quoad effectus juris, hæres tamen non est. Sed si pater per fideicommissum sic exhæredato suam reliquerit hæreditatem, hoc circuitu usus, ut magis illi consulat, juxta *l. multi 18. ff. de lib. & posthum. & dict. §. Si quis non mala*, tunc non excludetur à jure patronatus, sed tanquam fideicommissarius universalis, qui hæredis loco habetur, illud capiet, juxta doctrinam Molin. de qua *sup. n.108.* cum in hac specie plurimùm urgeat vehemens præsumptio, quòd testator voluit, ne jus patronatus apud hæredem extraneum permaneret, nec filium eo privari; etsi filium alium instituerit. Vide. *sup. n.109.*

Circa filium in legitima institutum videas, quæ sunt *sup. numer. 92.* ubi de feudo, & emphyteusi hæreditariis. Et hucusque dicta procedunt utique in jure patronatus mixto.

Vers. *Quod fit, ut si filius.*

115 Si quis paternam suam legitimam vendat, emptor minimè patronus efficitur, etsi filius à patre jus patronatus Ecclesiasticum habeat, quoniam legitima est bonorum pars, non hæreditatis; ut ex plurimis probat Merlin. *de Legitim. lib.1. tit.1. q.2. n.1.* nisi de commodis filij tractetur, ut ipse cum aliis docet *n.9.11.* & cum in hoc casu non agatur de utilitate ipsius filij, sed alterius; ut bonorum pars, universitas dici non potest, ut cum ea jus patronatus transferatur. Sed hoc limitari potest, quando jus patronatus obvenit filio accessoriè ad rem existentem in legitima; nam sat erit, ut cum ea jus patronatus transferatur; ad quæ vide *sup. num.96.*

Ibi: *Item & illud hinc colligitur.*

De jure patronatus hæreditario potest is, qui Ecclesiam 116
construxit, vel aliàs illud adeptus primò est, disponere donatione, aut alio titulo in præjudicium suorum, aut extraneorum hæredum, Sanch. *sup. dub.92. nu.1.* Vivian. *lib.4. cap.2. num.14. vers. Non obstat, quod patronus,* Didac. Perez *in l.1. tit.6. lib.1. Ordinam.* Idem est de antiquo, quod possessor à fundatore per successionem habuit, Sanch. *sup.* Molin. *d. c.24. n.30.* ubi cum D. Covar. *hic* resolvit, licere jus antiquum hæreditarium uni ex filiis prælegare in præjudicium cæterorum; & ita communiter docent DD. teste Vivian. *post c.2. n.27. lib.14.*

Observandum est cum eodem *Molina*, Episcopi consen- 117
sum intervenire debere: quod regulare est, quoties jus patronatus Ecclesiasticum per se absque universitate in laicos transfertur, Vivian. *c.1. n.17.18.* Molin. *sup. num.13.* Mantic. *decis.86. num.6.* Barbos. *d. allegat.71. num.11.12.* secus si Ecclesiæ, locovè Religioso legetur, aut donetur, quia talis consensus minimè desideratur; Molin. *sup.* Vivian. *num.16.* Gratian. *disceptat. cap.177. num.3.* Pat. Suar. *tom.1. de Religion. lib.4. de Simon. cap.28. num.15.* Barbos. *num.11.* Quod si ab una Ecclesia in aliam tranferatur, Episcopi consensus, vel alterius Superioris ejus, quæ alienat, requiritur, & aliæ solemnitates, quæ in alienationibus rerum Ecclesiasticarum debent adhiberi, Vivian. *num.33.*

Donatio autem, vel legatum absque Episcopi assensu 118
nullius est momenti, sed jus patronatus permanet apud donatorem, vel testatorem, Vivian. *cap.4. num.74.* Seraphin. *decis.884. num.1.* Barbos. *num.23.* Borrell. *in summ. decision. tit.32. num.1.* Rota *decis.337. n.7. part.2. recent.* Potest tamen ex post facto confirmari, Episcopo consentiente expressim, vel tacite admittendo scilicèt scienter præsentationes per donatarium factas, Vivian. *c. proximè citato, d.n.74.* Mantic. *sup. num.7.* Barbos. *num.15.18.* Rota *decis.17. de jurepatr. in antiq.* Imò etiam post mortem donatoris, Vivian. *ibi,* Rota *decis. ult. de jur. patron. in ant. & dict. decis.337. num.7.* Licèt aliud sit post mortem donatarij, ut Vivianus testatur fuisse decisum.

Vicarius, etiam generalis, consentire alienationi nequit, 119
nisi speciale mandatum habeat; Vivian. *cap.1. n.25.* Garcia *de benef. p.5. cap.9. num175.* Barbos. *de potest. Episcop. part.3. allegat.54. num.75.* Capitulum, Sede vacante, consensum præstare non prohibetur, quoniam actus jurisdictionis est, quæ in eo, ubi non est Prælatus, residet; Calderin. *cons. 4. de jure patron.* Ricci. *in præx. for. Ecclesiast. decis.180. nu.149.* Vivian. *ubi proximè, n.26.* qui eos refert, & cum eis tenere videtur; licet contrarium probet, Gratian. *disceptat. c.303. à n.10.* De aliis, quæ huc pertinent, consulas Vivian. *d.c.1. à num.13.* Barbos. *d. alleg.71. ex n.15.*

Ad Num. 10.

Utrùm possessor juris patronatus Ecclesiæ, familiaris, 120
vel mixti, possit illud alienare in præjudicium vocatorum? docent Molin. *sup. num.31.* Sanch. *dict. dub.92. num.2.3.* Lotter. *dict. quæst.11. num.4.* cum *aliis,* Garcia *dict. cap.9. n.69.* Vivian. *cap.2. ex num.10. & cap.9. num.7.* cum quo distinguendum est; nam qui primùm jus patronatus obtinuit ab Ecclesia, propria pecunia expensa, jure permittitur, ut possit suis descendentibus præjudicare. Sed si illud per successionem à fundatore obtinuit, non valebit de ipso disponere dum detrimento eorum, qui de familia fuerint. Ex quo, juncto *n.116.* colliges differentiam inter patronatum gentilitium & hæreditarium, quam notat cum multis Vivian. *post. c.2. n.27. lib.14.*

Nota, quòd in jus patronatus gentilitium, seu familiare, 121
succeditur

succeditur in capita, in hæreditarium, in stirpes, ut observat Vivian. *cap.2. num.58. cum seqq.* Lotter. *sup. ex nu.123.* Quod de mixto? Idem quod de gentilitio dicendum videtur. Quando succedens in majoratum, jus patronatus consequatur? latè explicat Molin. *d. cap.24. à num.27.* An succedat Monasterium, quod Patronus ingreditur? vide apud Sanch. *dub.93. n.19.* Vivian. *c.2. à num.61.* Præterea sciendum est in jure patronatus esse locum repræsentationi, maximè si jure primogenii deferatur, de quo per D. Covar. *practicar. cap.38. num.13.* Robles de Salcedo *de repræsentat. lib.3. cap.19. à n.72.* ubi plures; Molin. *de primogen. lib.3. c.7. num.19.*

Vers. *Sexto, ab eadem.*

122 Si quis, pluribus institutis, decedens, uni ex illis præcipiat, ut Ecclesiam ex suis bonis hæreditariis construat, hærede ædificante post mortem testatoris, jus patronatus Ecclesiasticum omnibus hæredibus commune est. Ita cum *D. Covar.* tenent Pat. Vazq. *in opuscul. tract. de redditibus, c.2. §.2. dub.19. in fine.* Sanch. *consilio. moral. lib.2. c.3. dub.93. n.13.*

123 Sed contraria sententia *Roch. Curi.* quam, refert *D. Covar.* non levibus innititur rationibus, & fundamentis: pro qua facit primùm; *Regula, secundum naturam, ff. de reg. jur.* Cùm enim testator decreverit, quod hæres solus gravatus expensarum dispendium sustineret, credendum est, voluisse, ad eum duntaxat commodum patronatus Ecclesiæ pertinere, ut ibi sit honor, ubi onus esse præcipitur, ut disserit Imperator in *l. fin. § Sed cum in secundam, C. de furt. & in §. unic. Inst. de legitim. patronor. tut.* facit *cap. adverf. 7. in fine, de immuni. Eccles.* Nec inæqualitas erga hæredes præsumenda est ex testatoris voluntate, argument. *l. si pluribus 45. ff. de leg.2.* D. Covar. *sup. lib.1. c.13. n.9. vers. Sexto, subinfertur.*

124 Secundùm, quia jus patronatus à defuncto non provenit, sed ex gratia ædificanti jure conceditur, *c.2. & per tot. de jure patronat.* Lotter. *sup. lib.2. n.26.* Vivian. *lib.1. c.1. n.35.* atque ita cohæredes nihil consequi possunt ex eo, quod fundator à defuncto non habet. Nec intercrit, si respondeatur, quod jus patronatus potius censetur concessum testatori, cujus pecunia templum erectum est, quam hæredi, qui nullam liberalitatem exercet, *l. unum ex familia. 69. §.1. ff. de leg.2.* Maximè quia quod per alios facimus, nos facere videmur, *l.1. §. Dejecisse ff. de vi, & vi armat.* Cum ea solutio elidatur, tum quoniam jus patronatus non tribuitur mandanti defuncto, sed immediatè eidem construenti, Seraphin. *dec.271.* Lotter *ubi proximè, n.16.* Tum quia sumptus non fiunt ex bonis defuncti, sed hæredis; in quem per aditionem transierunt, *l. cum hæredes 23. ff. de acquirend. possess.* & cum in id tempus dispositionem mandans contulerit, quo jam bona essent successoris ex ejus præsumpta voluntate patronatus ædificanti defertur, poterat etenim præcipere, ut ex hæreditate ipsa deduceretur ad Ecclesiam ædificandam, quo casu doctrina *D. Covar.* proculdubio procederet, quamvis unius hæredis industriam testator elegisset ad opus.

125 Tertium, præ cæteris urget argumentum sumptum à jure patronatus libertorum, quo utitur etiam Lotter. *ubi proximè*; nam servus proprius testatoris, si manumittatur jussu ejus ab hærede, vel legatario, non efficitur libertus orcinus, sive defuncti sed solius manumissoris, *l. qui ex causa 29. ff. de bon. libertor. l.1. ff. de bon. posses. conc. tab. libert. l.2. in princip. ff. de suis & legit. hæredib. §. Qui autem, Inst. de singul. reb. per fideicommis. relict.* Lotter. *sup.* & omnes communiter. Igitur eodem modo construens Ecclesiam ex præcepto antecessoris solus patronatum obtinebit, qui non jubenti, sed exequenti tribuitur.

126 Quartùm tandem, ut alia omittamus, perpendendum est, verum non videri, quod pro opposita opinione supponitur, videlicèt Ecclesiam nomine testatoris construi, quoniam hæres licet voluntatem defuncti adimpleat, proprio nomine agit, quemadmodum, qui jussus manumittit; præsertim cùm hæres, defunctus, una eadémque persona existimentur, *l. fin. C. de hæred. instituend. Auth. de jure jurand. à morient. præstito, in princip.* Undè alieno nomine ædificare dici non potest, etsi ædificium cedat in spiritualem jubentis utilitatem, & ad ipsius memoriam apud homines commendandam, *l. 6. titul. 10. p.1.*

Superest, ut satisfaciat responso Consulti in *l. his conse-* 127
quenter 18. §.1. vers. Sed & cum monumentum, ff. famil. ercisc. cund. cui simile est in *l. Quintus Mutius 7. §.1. ff. de ann. legat.* quo maximè opinio contraria fulcitur: sed earum decisionum vera ratione intellecta, constabit ad rem, de qua agimus, ea jura minimè pertinere. Est igitur præmittendum monumentum nihil aliud esse, quàm ædificium sepulchris adhærens ad munimen eorum, vel ad memoriam defunctorum, qui ibi conduntur, quo magis cadavera honorentur, *l.2. §. monumentum, l. funeris sumptus 37. §. fin. ff. de religios. & sumptib. funer.* & ideò *in d. l. Quintus,* dicitur hoc ad authoritatem defuncti pertinere. Testator autem habebat sepulchrum hæreditarium non munitum, nec decoratum, in quo ipse humandus erat, jussítque uni ex hæredibus, ut ibi faceret monumentum, quod fieri, cohæredum interesse meritò Consulti responderunt; quia cum tale sepulchrum ad illos spectaret, *l. familiaria 5. ff. de religios. & sumpt. funer.* illud munitum exornatúmque esse, eis expediebat, nec potuit monumentum ædificanti tantum acquiri, cùm sepulchrum, à quo erat inseparabile, commune omnibus hæredibus foret; maximè quia quicquid solo inædificatur; solo cedit, *l. adeo, §. Cum in suo, ff. de adquirend. rer. domin.* & accessorium naturam sequitur principalis, *cap. accessorium, de reg. jur. in 6.* Undè nil mirum, si hæredibus monumentum ab uno factum competere dicatur, quibus jus sepulchri erat. Hæc verò ratio, ut per se notum est, in hærede ædificante Ecclesiam, nequaquam reperitur; quapropter allegati textus nihil probant ad favorem sententiæ contrariæ, quam veneror, libentiusque amplecterer, quàm impugnarem, ni præmissa urgerent fundamenta. Posset tamen dici ei locum fore, si ex conjecturis, personarúmque qualitate colligeretur, testatorem voluisse jus patronatus omnibus hæredibus esse commune; non tamen ad hoc satis erit, quod juberetur fieri Sacrum ædificium in loco, qui testatoris esset; etsi ex interpretatione mox tradita colligatur: nam in sepulchro jus sepeliendi proprium erat hæredum, acquisitum per successionem, nec per adjectionem monumenti auferebatur; at locus privatus, in quo Templum ædificatur, prorsus Sacer efficitur, ac nullius in bonis esse potest, *§. Nullius,* & *ibi* Glos. *Inst. de rer. divis.* quem testator nunquam factum hæredum Deo dicavit, quare in hac specie considerari nequit vis accessionis, quæ in monumenti ædificatione reperitur.

AD CAPUT XIX.

De interpretatione leg. quoties 13. Cod. de rei vindicat.

SUMMARIUM.

1 *Authores videndi recensentur.*
2 *Plures ad eandem rem ex contractu actionem habere, quibus modis contingat, & quis præferatur, n.3.*
4 *Decisio* l. quoties, C. de rei vindicat. *præter emptionem in similibus contractibus locum habet.*
5 *Ratio ad eam constitutionem redditur.*
6 *Sufficit traditio ficta, ut ea lex procedat. Quod limitatur, ad n.12.*
13 *Vendens eandem rem duobus in solidum, ei, qui succubuerit, ad interesse obligatur.*
14 *Obligatus ex venditione ad rem tradendam, ad id præcisè compellitur, si facultatem trahendi habuerit; ad n.18.*
19 *Constitutio* d. l. quoties, *non obtinet, ubi dominium absque traditione ipso jure transfertur.*
20 *Nec in spiritualibus, & n. 21. 22.*
23 *Ecclesia clemente non admittitur eadem constitutio, ad n.25.*
26 *An in contractibus Principis ea constitutio locum habeat, & quando transferatur ipso jure possessio in contrahentem cum Principe; ad n. 35.*
36 *Concessio ejusdem rei, vel venditio à Principe duobus facta, quando valeat? remissivè.*